

D. O. M. A.  
DISPUTATIO PHYSICA  
*DE*  
**QUALITATIBUS  
OCCULTIS IN  
GENERE,**

*Quam*  
Indultu Inclytæ Facult. Philosophicæ,  
PRÆSIDE  
*Clarissimo, Per-Eximio, Doctissimoq;*  
**Dn. M. VALENTINO ALBERTI,**

Inclytæ Facult. Philosoph. Assessore, Colleg. B. Virg.  
Collegiato, ejusdemque p. t. Præposito  
dignissimo,

Dn. Fautore, Præceptore, & Cognato suo colen-  
dissimo,

*Publico examini s̄istit*  
**MARTINUS HEER, Laub. Luf.**  
Autor & Resp.  
*Horis locoḡ consuetis*  
prid. Kalend. Decemb. An. 1662.

---

**LIPSIAE,**  
Literis JOHANN-ERICI HANNIL.

Coll. diss. A  
141, 29

Coll. diss. A  
141(29)

*H. M. Nagel.*



## C. B. D.

### §. I.

I Plinio ii, qvi voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidiè finire, rectè dicuntur; Epist. L. V. 5. Illi certè vivendi causas, semper habebunt, qvorum vita in ingenio est, continuâq; rerum cognitione nutritur. Voluptarii enim uti quotidiè sibi aliisq; satis faciunt, nihil melius alio die expectantes; ita hi sapientiae consulti non tantum qvid actum, sed qvid agendum, qvidq; cognoscendum, pari lance expensum habent; & scientiae jam acquisitae memores, & præmittere festinantes cogitationes solliciti, ad ea qvæ cognoscenda sunt. Et hoc sensu verè dixit qvicunq; dixit: Scientiam, id est rerum cognitarum veritatem, nostræ animæ esse epulas, & pabulum. Diutinâ fame cui intestina creparunt, si tandem alimentum conseqvat, rem ex voto successisse gaudet acqvescitq;. Anima de rerum veritate anxia, qvid non molitur, ut eam latenter eruat? Si consecuta fuerit, tacita gaudia captat; hujusq; possessionem nullâ cum auri vi, nulla argenti, ulliusvè amicitia commutatam velit.

§. 2. Retinuit appetitum hunc animus noster, postqvam exitiali Protoplastorum lapsu scientiâ ipsâ penè excidit. Uti ad extinctum lumen oculi in tenebris; ita cœcutientia hominum ingenia ad primam illam intellectus lucem desideriô suô feruntur, magis, ut dolendi felicitatem amissam, qvam superbiendi in cognitione suâ occasionem habeant. Fallitur enim ut plurimum conatus noster; & sicut vulpes elusa à ciconia vitreum vas lambimus, pultem haud attingimus.

§. 3. Qvòd si verò imbecillitatem illam rectè attenderimus, extra, an intra nos ignorantiae causas qværere debeamus, facile jūdicare poterimus. Habitemus modò nobiscum, & excutiamus supellecilem, penuriamq; non injuriâ naturæ sed incuriâ nostrâ accersitam esse deprehendemus.

§. 4. Nec mirum hoc nobis videri potest. Omnis enim illa

Siplex humā more acquisita est; unde? Ex prævia sēnsuum cognitione. Fallax sāpē mater, fallacem sobolem. Sensus scilicet ministri, qvī deferunt omnia ad intellectum Regem illum communem in throno sedentem, aliquando iussa exequuntur, aliquando minus fideliter, ut quotidiè experimur. Hinc in luce rerum tenui caligamus, in mediocri cœcutimus, in majori cœci sumus, in maxima insanimus. Plura enim sunt, quæ legitimam rei cognoscendæ perceptionem impediunt, ut notum est. Quām fallaces & deceptu faciles sensus sunt, vel Epicurus suō instrumentō dioptricō, quo sōlem intuitus est, doceat. Hinc nihil à subtilitate alienum magis, quām inductiones, quæ sensuum fulcimento muniuntur. Etenim aut optima, aut subtilissima, aut fallant, aut fugiunt sensum.

§. 5. Licet verò nonnulla, quæ sensum fugiunt, sub intellectum cadant, & uti Scholæ Dd. loqvuntur, virtualiter si non formaliter, in prima rei cognitione deprehendantur; Erui tamen hæc omnia, & per ambages intelligi debent, ubi sāpē intellectus magis infert, quam effert; plura fingit quam invenit. Ita bovem vides ipse, bovem verò videre ex ejus actionibus judicas. Sic currere hostem, miles videt; currentem verò fugere, frustra nonnunquam concludit. Intellectus enim liberalior est, judicioq; suo nixus, rebus à sensu perceptis nimium attribuit. Obiter verò exinde notari potest, cur tales in bello fallaciæ pro liciti habeantur. Decipit nimis seipsum ille, qui cursum velociorem, fugam interpretatur, quæ tali vel aliō corporis situ necessariō non significatur. Vid. Grotius lib. 3, de jur. B. & P. cap. I. n. 8.

§. 6. Quid verò nobis progredientibus fiet, qui ita in limite cespitamus? Enucleum esse volumus, nucem non frangimus. Externa nos fallunt, & in formam inquirimus. Crassæ verò sensuum fenestræ ea rerum penetralia non excipiunt. Qvis audeat dicere, se comprehendere species Substantiarum? Latet nos illa exquisita cognitio. Nostinè internam a quæ, creatorum maximè obviæ, apertæ, visibilis, & translucidæ quidditatem? Vel quare liquida sit, aut humida? Certè quid illa ipsa Substantia, planè ignoramus. Tanta est infirmitas nostra, ut in plurimis cœcutiamus, plurimarumq; præstantissimarū rerum notitia destituti simus, quia formæ; (rationalem forte excipiæ) compositi quæ est pars nobilior:

Bilis, omniū effectū fons & origo, ex mente Scaligeri res divina.

§. 7.. Sed nondum tenebrarum satis est, nondum satis cœcūtum. Ignoratis formis plurima alia ignoramus, qvorum nostri multum interest. Opaca nubes & solem, & jubar ejus intercipit; sic dum formæ se nostræ indagini subducunt, subducuntur & ea qvæ à formâ emanant; Qualitates scil. aut proprietates formales: propter formarum essentias à priori incognitas proprietatū prosapia tota jejuna est. Et hoc, propter connexionem causæ efficientis cum suo effectu. Hinc fit, ut si qvicqvam in naturâ insoliti accidere videamus, miremur. Naturalē subesse rationē non ignoramus, inqvirimus: sed fugiunt optima; forma latet, latent qualitates. Et ut in ludis mimicis modò aliquā apparēt, modò absconduntur: sic effectus patent, causæ latent: Mens demū ab indagine defatigata cesset necessitate habet, sensusq; reponit, sèpè contenta nomine Occultarū Qualitatum, ad qvas diu jactata tandem confugit tanquam ad Anchorā.

§. 8.. Mihi verò de Qualitatibus illis acturo nihil gratius accidere posset, qvam si res ipsa ejusdem cum nomine claritatis esset. Illi enim significationi, qvam hoc in loco Philosophi attendunt, communis Autorum usus præcium fecit, ut testimonia rei perspicuitas non admittat. Dicuntur vero occultæ ad differentiam manifestarum. Hæ sensibus percipi possunt; illæ verò non possunt. Voce eadem de re simili utitur Virgilius: Georg. lib. I..

Sèpè etiam steriles incendere profuit agros,

Atqvè levem stipulam crepitantibus urere flammis..

Sive inde occultas vires, & pabula terræ:

Pingvia concipiunt &c.

Qvibus & sequentibus versibus elegantissimè Virgilius caloris vires eloquitur; qvas Zanardus de Elementis Qvæst. 6. viginti plus minus barbaris vocibus vix circumscribere potuit.

§. 9.. Hic diversa nomina ἡγόδω videre juvabit. Dicitur autem Occulta Qualitas ab aliis Proprietas formalis. Ab aliis Vis à totâ substantiâ. Multis Vis specifica audit. Dioscoridi non ineleganter ἀνατολόγητα lib. 6. cap. 34. &c..

§. 10.. Verum enim verò, cùm non una rerum occultarum ratio esse soleat; Qvo jure modoq; qualitates illas hoc nomine insigniamus, declarare priùs oportebit. Ignorantia verò, propter qvam occultæ vocantur, vel à nobis cognoscentibus, vel à cognoscendis

scendis qvalitatibus dependebit. Non ab his: nam sic nullæ dantur occultæ, cùm naturæ opera manifestissima; sed tantum prout sub censem nostri intellectus cadunt, omnium rerum dictatoris; ita tamen ut latentes Qualitates intra suas formas sint hujus denominationis causa quasi occasionalis, aut virtualis: intellectus verò noster non penetrans, sed obscuratus causa principalis, qvippe qui in res naturales sese non insinuat. Qvod parum infert in res, multum tamen notat de impotentia nostri intellectus.

§. 11. Scaliger qvidem Exercitat: i. de Subtil. in rebus etiam ipsis subtilitatem concedit, eamq;, vel (1.) ob ignorationem causæ, vel (2.) ob ignorationem cohæsionis causæ cum effectu, vel (3.) ob inæqualem proportionem, qvæ existit inter cognitum & cognoscentem. Sed uti priores duas subtilitates ipse per ignorantiam nostram describit, certus, subtilitatis attributione metiri res eas, à seipsâ imbecillitatem humanam: Ita non minus illa *dōvū-mētēgīz*, qvæ inter cognoscentem, & rem cognoscendam datur, nostro vitio contingit. Etenim, inquit ipse Scaliger l. c. inter præstigiatoris manus qvod est, video. Mutatur enim species vel propter celeritatem, vel propter aliud. Qvarè verò mutetur, latet me. Qvod si in Homeri Iliade tam pusilla, qvam refert Plinius, perspicienda cuiuspiam sensus laborabat: neutiqvam in re fuit difficultas illa. Fuisse namq; visibilem, ex Opificis visione fateri cogimur. Qvo circa erit hujus aut illius oculi defectus, causa.

§. 12. Patet verò exinde, qvam rectè de iis occultis rerum viribus agere possimus; imò debeamus. Aurum non suspendit in aëre natura, qvod multiplici, & audaci nonnunquam labore è terræ visceribus eruendum est. Laboriosi & nos simus, necesse est, & audaces qvodammodo, ut quantum in secreta naturæ inspicere concessum est, ipsi exemplò nostrò experiamur.

§. 13. Qui verò aggressi hanc materiam, nobis in limine ipso peccare videntur, duorum generum esse comperimus. Quidam enim rerum naturalium subtili operatione excœcati, naturam ipsam aliquando exesse jubent, & pactum cum Diabolo saltem implicitum intercessisse judicant; qvemadmodum præter alios non ita pridem Franciscus Bonæ Spei Physic. part. 3. disp. 10. dub. 2. n. 54. seqq. Pulverem Sympatheticum, minerale illud, & mirabile medi-

medicamentum, superstitionis, & planè diabolicum vocat. Tales verò circa occultas Qualitates, deficiendo peccare videntur, si quidem ad Diabolum statim ablegant, qvod intra hoc asylum, uti vocatur à Scaligero, defendere possent.

§. 14. Dantur verò & alii, qui excedunt, ingenioq; nescio, an ambitione seducti, omnia sibi perspecta esse putant. Atq; hi nos voluntariò esse nescientes dictitant, & illas Occultas non esse Naturæ soboles legitimas, sed spuriæ à nobis falsò effectas contendunt, easq; cerebri ignaviae supinô somnô detenti veritatis specie ab blandientia somnia vocant. Dicunt porrò à nobis temerè fieri, & præter necessitatem, qvòd præter primas & secundas, alias assertere velimus, cùm nulla sit in lapidibus, plantis, & aliis viis tanta, nulla tām stupenda Sympathiæ & Antipathiæ miracula, nihil denique in universâ naturâ, cuius ratio ex manifestis non posset depromi. Laudat etiam Democriti Epicuriq; recentiorumq; doctrinam de atomis Thomas Willis, Medicus Oxoniensis de fermentat. p. 3. ideo, qvod sine recursu ad occultas Qualitates, sympathiam, & cætera ignorantia asyla, difficiles scientiarum nodos, & ænigmata feliciter & perqvam ingeniosè extricet.

§. 15. Verū, ut Doctissimi ita senserint, nihilominus semper iniqvum duximus, ex intellectu, efficere alienæ libidinis mancipium. Et sicut in gratiam veritatis non tantum Amicorum, sed & nostras sententias, si minus veræ, deserere debenius: ita nec Eorum Autoritas nostros perstringat oculos in veritatis detrimentum. Facile verò subodorare liceat, undè rationem dissentendi desumserint: occultæ enim cum obscurissimæ sint; ideo etiam hæc facra ingredinon licet. Illi verò, qvia ingenii viribus nimium nituntur, Icaro planè aut Alexandrœ ausu reducere tentant, non manifestum ad manifestum, imperceptibile ad perceptibile. Sed hoc dūm faciunt, summæ à Scaligero impudentiæ exercit. 218. n. 8. insimulantur. Occultis enim non subscribunt, qvia se non posse intelligere nondum vident, subesse aliquam rationem naturalem occultam; qvod est ex infirmitate sui, intellectus rerum naturas estimare velle.

§. 16. Tales verò similes sunt Gorgiæ Leontino, qui in maximo Græcorum conventu omnes provocavit, ut quicquid velle, quisq;

qvisq; audire, qvareret. Superiori etiam seculô in aula Caroli V.  
Bruxellis gloriosulus qvidam ad aulæ valvas chartam affixit, qvâ  
in literarium certamen omnes provocavit, & responsurum se pro-  
misit ad omnem. cujuscunq; Juris Qvæstionem, vel qvicq; id de-  
mum in qvâcunq; humanæ literaturæ scientia proponeretur. Erat  
tum in aula Thomas Morus Regis Angliæ Legatus, qui audacissi-  
mam repressurus jactantiam hanc è Jure Britannico qvæstionem  
proposuit: utrum animalia capta in Wither næmia sint irreplegi-  
bilia? Addidit: in familia Legati Anglii esse, qui eâ de re dispu-  
tare cupiat. Hæsit Jactatori aqua, & non titubavit tantum, sed &  
obmutuit lingua ostentatrix. Miser enim nec verba, nedium Qvæ-  
stionem intellexit: & tandem omnium risu & sibilis exceptus se  
subduxit. Ne simile qviddam iis accidat, qui de occultis rerum  
naturalium viribus rationem reddere volunt, ipsi cavebunt. Ga-  
lenus certè de Epicuro & Asclepiade scribit lib. i. de nat. fac. 14.  
qvod rationes vel ineptas, vel ridiculas afferant, vel ea pernegerent,  
qvæ diuturnâ experientiâ confirmata sint.

§. 17. Nos mediâ incedentes viâ, nec in præcipitia rapi, nec  
ab iis deturbari possumus. Ut enim occultas Qualitates admit-  
timus; ita de iis generatim agi, earumq; causas probabiliter erui  
posse, contendimus. Sic Galaxiam quotidiè videmus, singulas  
stellas nunquam oculis usurpamus: sic theorematâ universalia de-  
gustare possumus, occultorum missis proprietatibus, cum ad ea  
aditus non pateat.

§. 18. Duo verò hoc ipso asserimus; primum, qvod occul-  
tas Qualitates concedamus, & secundò, in genere notitiam de ea-  
rum causis promittamus. Deutroq; breviter.

§. 19. Prius edocti sumus ab Archiphilosopho (fatis esse  
in quibusdam scire, qvod sint, Eth. i. cap. 3.) & à Plinio (multa in re-  
rum naturâ esse abdita, lib. 7. cap. 96.) & à Galeno plurimis in lo-  
cis: & à Scaligero exercit. 218. num. 8. (multa diversas habere ab  
Elementorum Qualitatibus proprietates, qvæ omnino latent ani-  
mos temperatos, illudunt curiosis) & ab Helmontio tr. de vi ma-  
gneticâ p. 613. (utrobiq; sanè occurrunt in natura; qvæ nostrâ tenui-  
tate explicari non possunt.) Qvis audeat ad manifestas reduce-  
re, qvod qvispiam felicem non conspectâ, in cistam inclusâ in lipothy-  
miam,

miam, asthma &c. agatur. Incusa qvam etiam volueris manifestam Qualitatem, ludibrio te ipsum expones. Res erit in effectu nota, in causa incognita. Sennert. Plura aliorum testimonia adducere non opus est.

§. 20. Præterea, qvicunq; intimius nobiscum introspicit manifestas, de occultis idem judicium ferat, oportet. Conferamus saltem vim qualitatum manifestarum cum virtute occultarum stupenda; certè diversissimas inveniemus. Non absimilior mutuatitia lux lunæ, nativo splendori κοσμοκογόρος maximi. Venena maximarum virtutum Hæredes, & exaltatæ potestatis, ut est apud Helmontium naturæ Filium p. 583. tr. in verbis. herbis &c. est magna virtus. Agunt proculdubio occultâ vi; hæc partes necant, privant quæ penitus innato robore, & prorsus, in sui similitudinem trahunt, ut habet ante nominatus Autor l. c. Sic testis Cardanus Turcas talia venena habere, qvæ solo attactu interimant. Sed qvis idem de calore, aut aliâ manifestâ, utut gradatim auctâ, audeat pronunciar? Venena qvædam vix sensibili portione ingesta miserandos effectus comminantur: Quantum enim ab ignobili bestiolâ, sed non centissimâ, Scorpium volo, veneni profici possit, facile conjicimus; Ubi tamen primæ utut intensæ, si exiguae vix evidentem in corporibus excitant effectum, affectumq; qvod plantis euphorbio, pipere, &c. qvilibet in se experiri potest.

§. 21. Ut vis agendi diversa, sic diversæ activitatis sphæræ. Qvænam sit manifestarum novimus. Qvænam occultarum, & qvam diversissima videmus & miramur. Illarum scilicet sphæra est limitata & determinata ad loci angustias, qvippe qvarum vis non est tanta, ut in objectum remotius sese efferre valeat: hinc reqviunt objectum uti loqvuntur approximatum: Sic ignis nihil comburit, nisi qvod penè contingit. Aliud statuendum est de occultis si non omnibus, certè pluribus. Sphæram qvidem earum determinatam statuimus; sed ejus metam enīnus loco sepositam. Hinc à qvibusdam occultæ, cum astralibus influentiis convenire, iisq; affines esse dicuntur.

§. 22. Ut differunt sphærâ, seu spatiō in quo agunt, sic modò agendi intra sphæram. Si manifestas observes, manifestæ quasi testudineo; occultæ penè concitatissimò cursu ad suum terminum

tendunt: hoc est, illæ satis ad sensum patente successione; hæ vix sensibili, imò penè instantaneo motu. Nam cum resistentia contrarii agentis sit, qvæ soleat actionem alterius præpedire, & suspenderet: manifestæ verò nonnisi contrarietate obviâ agant, retardantur, & hinc earum actiones successivæ. Sic calor non in momento lapides, & metalla pervadit, aut vincit, sed necesse est accommodet se in suo agendi modo ad determinationem cujusque objecti. De occultis illud adeò simpliciter vix liceat affirmare. Utut enim non inficier, & occultas suas habere contrarias, easq; æqvè pugnaces qualitates: nescimus tamen, qvomodo una alteram triumphet, aut qvâ tandem ratione congregiantur, progrediunturq; . Fortassis etiam obvias eas Qualitates contrarias non semper habebunt, ut nec lucta fiat, nec actionis suspensio. Et propter has rationes concludimus, dari occultas à manifestis qualitatibus distinctas.

§. 23. Restat verò jam alterum membrum, in qvō de causis occultarum Qualitatum generatim agere debemus. Ut verò rei compendium faciam, distingvo eas, uti afferuntur ab Autoribus, in externas & internas. Illas voco, qvæ extra subiectum, has qvæ intra subiectum ab iis constituuntur.

§. 24. Externas causas Qualitatibus hisce assignarunt ii, qvī diffisi inveniri posse sublunarium virium causas in sublunaribus, ad astræ coelumq; volarent. Occultas magna edere videbant: magnarum virium esse astra acceperant. Ad hæc itaq; illas reduci posse constanter opinabantur; occulta scilicet ad æqvè occulta. Cujus sententia Patronus extitit Mohyns, qvi potentias Sympatheticas ex astris dimanare ratus est, quasi influentiarum æmulas. Eò verò adduci facile poterant, qvòd viderent, hæc inferiora à superioribus subtiliter gubernari: multumq; juvari in generationibus & conservationibus, lationibus continuis; & hoc propter Syngamiam cœlestium cum terrestribus.

§. 25. Verum enim verò utut non negem, naturam quotidiè qvicquam trahere à superis, cœlestiumq; favorem expetere: astra tamen Principia occultarum statuere religio est. Non facio cum iis, qvi omnēm usum & vim in inferiora agendi superioribus dengant, in Deum penè & naturam injuriosi, quasi ornatūs tantum gratiā

gratiâ ccelo essent indita, non secus ac cœnacula emblematis & testellis exornantur. Ad illarum verò vires universales œconomicas rectrices in hâc disquisitione cōfugere, vix tutum esse puto, cum fiat præter necessitatem, qvod videtur ad sacra confugisse. Suppetunt enim particulares; qvid ergò ad universales causas particulares effectus reducamus?

§. 26. Internas verò causas iterum duplicis naturæ facio. Pertinent enim eæ vel ad corpus, vel ad animam. Qvi occultas suæ natalitia debere Animabus asseverant, liberalius agunt. Qvomodo enim defendant Animas ejusdem speciei in pluribus subjectis, non tamen iisdem proprietatibus instructas? Sic Catullus Volusium a versatur; alius felem; & mille alii non idē patiuntur pathemata. Porrò accedit & hoc, qvod qvælibet anima suis instructa facultatibus sufficienter iisq; planè aliis ac occultæ. Et qvod fortius eos jugulat, plura dantur occultè agentia, imò necantia, nec tamen animata. Lapidès non vivere notum est; magnetem ex horum numero esse facile nemo negare audeat, & tamen occultâ vi ferrum trahere, manifestâ experientiâ edocti credimus.

§. 27. Cartesius qvidem de passionibus animæ, artic. 136. p. 73. de solis hominibus agens, talem nexus inter animam & nostrum corpus esse docet, ut cum semel jungimus qvandam actionem corpoream cuidam cogitationi, neutra earum unq; se postea offerat, qvin altera se qvoq; exhibeat. Hoc verò sufficere ait, ad reddendam rationem de iis omnibus, qvæ unusqvisq; potest observare, vel in se vel in aliis. Etenim e. g. facile est cogitare miras qvorundam aversiones, per qvas nequeunt ferre odorem Rosarum, aut præsentiam felis, aut similia, non aliundè proficiisci, qvam qvòd ab initio suæ vitæ valdè fuerint læsi à similibus qvibusdam objectis, aut qvia compassi sunt sensui matrum suarum, qvæ gravidæ cum essent, à calibus læsæ fuerunt. Certum enim est relationem dari inter omnes Matris motus & motus infantis, qvem gestat in utero, ita, ut qvod uni contrarium est, alteri etiam noceat. Et odor rosarum potuit infanti magnum capitis dolorem attulisse, qm adhuc in canis esset, aut felis potuit eum valdè perterrefecisse nemine animadvertente, ac ipsô nullam ejus rei memoriam postea conservante; qvamvis idea aversionis, qvam tum pro illis rosis aut pro illo

illo seie conceperat, impressa manserit ejus cerebro, usq; ad vitæ finem.

§. 28. Qvamvis verò ingeniosam hanc Cartesii rationem plurimis hujusmodi Qualitatibus lucem aliquam affundere, negare nolimus, siq; videm aliàs etiam constat, phantasiam semel ab objecto excitatam, objecto iterum præsente, movere scipsam, eamq; intellectus nostri consensum voluntatisq; imperium antevertere, variosq; in corpore formare gestus. Ita oscitante uno alterum oscitare facit phantasia, qvando agentem aliud intellectum præveniendo fallere potest. Ita qvi aliquoties inter seria studia ungues rodunt, aut barbam fricant, ab iis, operante solâ phantasiâ, actiones illæ in simili negotio saltem non semper repetentur, licet intellectus, aliis rebus intentus, eas non animadvertat. Atq; harum actionum finem ad phantasiam simile ut plurimum intendentem magis, qvam ad cooperantem Deum referre vellemus, qvod tamen nonnulli Metaphysicorum faciunt. Edocti verò talibus experientiis concedimus, phantasiam simile qvid operari posse in iis exemplis, qvæ à Cartesio adducta sunt. Potuit infans à fele, aut rufarum odore lædi, qvi eō tempore magis phantasiæ, qvam intellectus sum habuit, qvæ postea etiam, mirante & ignorante intellectu, objecto simili, aut eodem præsente aversione similem excitare potest. Sed, cùm talis operatio expediri non possit, nisi phantasia objecti præsentiam sentiat; qvid respondebimus ad illud experimentū de fele intra cistam inclusō, qvod anteā ex Sennerto adduximus? qvmodo sentiri potest hostis? cur non fallitur phantasia? Ad solas qualitates occultas, secuti celeberrimum Sennertum, tutissimè confugiemus.

§. 29. Quidam verò qvi circa corpus hærent, ex eo Qualitatum omnium originem derivaturi, relabuntur ad primas & secundas Qualitates, harumq; peculiarem missionem, s. *ἰδιοτύχεασιαν* (sic nominant) eamq; speciosâ & vendibili oratione singunt & pingunt. Dicunt, misceantur primæ secundis, amaritudo, dulcedo, auferitas, cum calore &c. confundantur, subigantur, nonnè inde ineffabilis Qualitas? Nō felicius ignē ex silice eliciamus, qvam occultas ex hâc sententia: sic argutantur urgentq; ex compositione sapientius novam, atq; insolitam Qualitatem, qvæ anteā non conspecta fuit:

fuit, emergere. Misceantur diversi colores, diversam à se sobolem parient. Sic alii, ut Cardanus, venenorum argumentum saporem odorem esse suspicantur. Sed nugæ, speciosò tegmine se palliantes, i.e., mistione. Attende paulisper miscibilium naturam, earūq; virtutes, qvousq; se extendant, attende. Conferamus, operæ pretium erit, vires, & facultates occultarum suprà qvodammodo intellectarum: qvomodo has planè miraculorum effectrices ad illas langvidarum virium hæredes reducemus?

§. 30. Non diffiteor novam, & diversam progigni posse qualitatem. Pictores illud, novarum rerum factores, edoceant. Ex nova mistione Qualitatum novum colorem educunt, & quasi ludunt. Sed annè aliud qviddam prodit, qvām color? nonnè prodit species, qvæ æqvè de naturâ coloris participat? si ergò participabit æqvè, de viribus etiam participabit, qvæ eandem naturam æqvè conseqvuntur. Hinc nova species earum virium ex iisdem principiis, qvæ qvod non habuere, communicare non potuerent. Idem statuendum de mistione primarum cum secundis, *de idiosychrozie*. Quarum virium manifestæ, notum est: talium etiam sit necesse est nova proles, ex hisce Parentibus progenita. Ut illæ deprehenduntur sensibus nuntiis nostri intellectus; sic & nova illæ qualitas i. e. erit manifesta. Nec qvicqvam proficiunt, si occultam mistionis rationem protendant. Hæc enim nullas poterit vires inferre aut superaddere. Idem valet, id est parum aut nihil potius, si peculiarem proportionem manifestarum indigent, ad mistionem ingredientium, qvia qvid redeat, notum satis est, tempuries sc. manifesta satis. Qui odorem & saporem accusant, refutatione vix digni; quasi verò omnia fœtida venenata, & omnia minus jucunda occultè agentia.

§. 31. Alii cùm se hâc via non posse ire viderent, manifestis depositis ad formam misti configêre; sed eodem & infelici successu. De hâc mixti formâ, utut dubitent, dubitandi ratio sit seposita: positô dari, dico tamen fore elementarem earundem virium. Et si ab hâc emanant, ut proprietates, qvam diu durat ea forma (sed manet qvamdiu mistum) tam diu etiam deberent cōstare vires: sed non constant semper, & in omnibus; sæpè occulta qvæ aderat, tempore perit. Sic caseum multi aversantur ex occulta vi, posteà in deliciis.

deliciis habent. Sic torpedo mortua tantum abest, ut : ~~αρκωτιν~~ inducat, ut multis etiam in alimentum veniat. Sed in homine, coeterisq; misti forma minimum, quamdiu vivit, exspirare non potuit; si ergo verum est, fluere ab hâc; hâc positâ ponentur occultæ, sublatâ peribunt, qvod est contra experientiam.

§. 32. Ad utramq; internam & externam causam, Hispanorum Gallorumq; diversissima ingenia jucundâ oratione refert Bodinus Lib. V. de Rep. c. I. n. 501. Notat verò ibidem, Hispaniā Galorum multitudine abundantem, connubiis & societatibus utriusq; gentis implicatam, optimi generis homines, & qvidem Gallis & Hispanis præstantiores procreare videri: qvoniam in Hispanis nimia tarditas, in Gallis nimia celeritas notatur; ut ita, Bodinô ipsô judice, major internæ, quam externæ causæ sit efficacia, siq; videtur hæc in connubiis contra influentem, & externam actionem, mutationem inducit.

§. 33. In hâc verò sententiarum diversitate, & dissidentium multitudine qvicq; vnam certi determinare, periculô vix vacare videtur. Plures opiniones esse non miramur; de occultis loqvuntur, in qvæ non ingredimur. Rejeci verò eos, qui soli externæ causæ, illosq; qui de internâ agentes, vel solis qualitatibus primis mixtis, vel soli formæ qualitatum occultarum originem adscribent. Nos media incedamus viâ, eâq; tutissimâ.

§. 34. Dico itaq; qvod occultæ oriuntur à primis & secundis variô modô mistis instrumentaliter, & dispositivè: à formis verò efficienter, educit, & qvasi resuscitativè. Forma scil. est qvæ educit; temperamento tali vel tali resultant vexatissimæ qualitates.

§. 35. Prout itaq; Qualitatum variæ dantur combinationes, variæ etiam exq; effectrices mirabiles educi poterunt. Forma enim est qvæ se ad modum Temperamenti determinate solet. Et ut ex quolibet ligno non sculpitur Mercurius, & si vel orco Phidias redaret: sic non ex quâlibet temperie quâlibet qualitas. Accedit, qvod diversæ formæ diversarum facultatum hæredes, quibus diversimodo educunt diversas qualitates.

§. 36. Dixi instrumentaliter temperiem peculiarem concurrere. Hinc non valet dixisse, impotentes esse qualitates manifestas. Nam & calor in entitate sua imperfectior, & tamen producit sub-

substantiam, alium ignem. Calor scilicet ex se insufficiens, fit potens, dum elevatur ab igne tanquam à causa principali. Sic & manifestae insufficientes, ( supra eos refutavi ) nihilominus ex his ut à forma directis resultant occultæ.

§. 37. Diversa mater diversam sibi. Diversa temperies diversam qualitatem; illa quæ cum forma expiret; haec quæ permaneat subiecto intrinsecata. Quare quam illa sit temperies? quædam æquum animo nescire velle humanæ sapientiæ pars est. Idem hic ingeminamus; quid mirum? dubitantes adhuc de manifestis earumque mistione agimus, ubi sola debet redire manifesta. Ita caligamus: rem sæpè videmus, modum ignoramus. Si quatuor hordei grana distinctè non percipimus, quid acervum distinctè? Primas scil. cum secundis mixtas remixtas.

§. 38. Nunc progressum facere deberem ad subiecta harum Qualitatū: Quid scil. vel viventibus, vel non viventibus, &c. inesse soleant. Materiā enim nō habent, quia accidentia, bene tamen subiecta, quibus inhærent. Sed cum peculiarē difficultatē habere vix videantur, ad alios B. L. remittim⁹, qui copiosius hāc de re scripsérunt.

§. 39. Dedimus explicatam originem, seu causam efficiētem, subiectum pluribus subjungere supersedere potuimus: sequitur ut dicamus, quid res ipsa sit. Notum verò est, propterea audire eas Qualitates occultas, quod existentiam carum noscamus, essentiam tamen nesciamus. Quid verò rebus ita se habentibus de Quiditate earum polliceri possumus?

§. 40. Dico tamen esse affectiones corporū naturalium, seu potentias naturales, per quas agere soleant vel pati. Cum enim nulla creatura suarum actionum immediatum principium: ( solus enim Deus agit per suam essentiam immediate ) necesse est, habeat per quod agat. Loquor verò hic de actione propriâ, non donaturali emanatione, quā intellectus v.g. ab animā emanat. Sic magnes quomodo ferrum trahat, nisi qualitate attractrice mediatrix? Quosdam adeò feles earumque præsentiam detestari, unde est nisi ab occultâ impotentia?

§. 41. Unā fideliā duos dealbabimus parietes, si hoc ipsum, quod formæ per has agant, finem occultarū intrinsecum, cum aliis tamen communem finē dicamus. Extrinsecus qui in aliud terminatur, mul-

**multiplex**: vel potest occultæ finis esse, ut aliquam rem in alterius amicitia quasi pelliciat, & inde Sympathia: aut ut ex alterius consortio eliminet, & inde Antipathia. De quibus tamē specialius agere non instituimus, cum requirant peculiarem diaconem.

**§. 42.** Definitionem generalem occultarum ex jam dictis deducimus, & quidē talem: Occultæ sunt potentiae naturales, peculiari temperamento à formis eductæ, sensus fugientes, in rerum sympathias & antipathias.

**§. 43.** Divisionem addimus, si non necessariam, certè utilem; quod scil. alia occulta materialis, quae adeò inhæreat suo subjecto, intimius intrinsecata, ut ex illo divagari non soleat, nec in objectū ferri eminus positum. Sic sunt quædā medicamenta occultè agentia, nec tamen suam vim exerentia, nisi à calore resoluta; tunc deinde determinatum solent educere, eumq; noxiū humorem. Alia *Spiritalis*, quæ extra suum subjectum diffunditur (de quārum activitate supra præcipue dicebamus) radiiq; instar certam rem supervenit. Sic sunt medicamenta ventrem turbantia solo attactu. Huc referre possum⁹ Basilisci tragœdias, si omnia vera. Nec incongruè fortassis, quod magnes versus septentrionē rapiatur; quomodo n. ad atomos confugiamus? rectius ad spiritalem occultam subtilissimæ entitatis.

**§. 44.** Alias divisiones siccō pede transfilimus, si quidem absq; exemplis vix tradi possent, quæ chartæ brevitas & instituti ratio excludit. Possent verò, ut generatim eas recenseamus, dividi vel secundum actionem reciprocam, & non reciprocam; vel respectu totius & partium; vel ratione causarum, subjectorum, modiq; acquisitionis ab ortu primo, vel insignis mutationis post ortum: item respectu certorum corporum, mineralium, plantarum, animalium earumq; specierum. Sed Historiæ eas relinqvimus. Videatur inter plurimos recentissimus Sylvester Rattray de Sympathia & Antipathia, ubi ordine optimò multa notatu dignissima recenset.

#### COROLLARIA.

*Circulatio sanguinis nuper reiecta, vera tamen.*

*Pili, & unguis non vivunt.*

*Temperamentum calidum, & humidum naturæ nostræ convenientissimum.*

*Ventriculus aestate calidissimus.*

#### GLORIA DEO.

Coll. dico. A 141, 29